

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Theses Philologico-Criticas, Consensu Inclyti  
Philosophorum Collegii Reg. Pomeranor. Academiae  
Gryphicae**

**Träg<sup>o</sup>ard, Elias**

**Gryphiswaldiæ, [MDCCLXXXVIII?]**

**VD18 1171638X**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15788**

Q. D. B. V.

27

THESES  
PHILOLOGICO - CRITICAS,

CONSENSU

INCLYTI PHILOSOPHORUM COLLEGH REG. POMERANOR,  
ACADEMIAE GRYPHICAE,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO ET CELEBERRIMO

Mag. ELIA Trägård,

PHILOS. PROF. PUBL. REG.

PUBLICÆ EXAMINANDAS

SISTIT

IOHANNES P. BOSTRÖM,

Bahus-Gothoburg.

D. XIV. NOVEMB. MDCCLXXXVIII.

H. A. M. C.

---

GRYPHISWALDIÆ

EXCUBEAT ANT. FERDIN. RÓSE, REG. ACAD. TYPOGR.



27

PHILO

ICAS,

INCLYTI PHIL

OMERANOR,

VIRO

MO

Mag.

g a r d,

PU

IOHA


R Ö M,

D. X

II.

EXCUEBAT

TYPOGR.



A M O N S I E U R  
G U D M U N D . O . B A G G E ,  
M A R C H A N D G R O S S I E R .

Quelle joie, quel honneur ne feroit-il pas, de pouvoir dignement declarer au Public la generosité, que Vous m'avez temoignée? Mais Vous ne le desirez pas Vous meme, et moi, je ne le puis pas non plus. Il suffit, que Celui, qui tout voit, la voit aussi, et Il Vous en recompensera. A Dieu ne plaise pourtant, que je manquerois jamais de ne souvenir le plus vivement de Vous bontes, les connoitre et respecter parfaitement! Daignez donc, je Vous en supplie, recevoir ce petit ouvrage, comme une marque du respect profond, avec lequel j'ai l'honneur d'etre toute ma vie

Votre

*tres-humble et tres-obeissant serviteur*

JEAN, P. BOSTRÖM.





THES. I.

**N**ullo textus S. hebraeus defectu, vel hiatu laborat Gen. cap. IV, 8. quem inepte supplere voluerunt Targumim recentiora JONATHANIS BEN UZIEL (rectius PSEUDO JONATHAN) & HIEROSOLYMITANUM.

Dantur in S. Codice hebraeo plura eiusmodi loca, quae Criticis nonnullis suspicionem injecerunt, textum esse interruptum & aliquid deesse, quod quoquo modo apponi debet. Dicuntur illa loca *piskata* a voce chald. פסק, *abscindere, dirumpere*, ad quae in margine bibliorum Masorethae ponunt notam פסק במצא נקודתו i. e. *Pausa vel cessatio in medio versu*. Talium numerus a nonnullis statuitur viginti octo, ab aliis viginti quinque; hic verior habetur a BUXTORFFIO. (a) De reliquis agere superfedam; tantummodo monere sufficiat, locum hic expositum nequaquam talem habendum esse, in quem suspicio illa cadat, cum notam *piska* pleraque, et quidem maxime probata manuscripta exemplaria non agnoscant, conf. V. D. Michaëlis (b). Inutilem igitur sumserunt operam in Thesi nominati Auctores paraphrasium Chaldaearum, qui longam inter fratres habitam disceptationem, pluribus constantem versibus hic inferunt; ubi a verbis ad verbera res venisse perhibetur, ita, ut surrexerit Kain contra Abel fratrem suum et fixerit lapidem in fronte, quo

) ( 2 eum

(a) in clavi masor. p. 265.

(b) in notis ad h. l. Biblior. hebr., ed. Halae 1720.



eum interfecerit. Sic BEN UZIEL; Targum vero Hierosolymitanum de instrumento necis tacet; alias, quemadmodum ille, ante colloquium illud, mox post verba textus: **וַיִּמְרוּ קַדְוָה לְכַבֵּל** addit: *excavamus in superficiem agri*, quae etiam, praeter necessitatem inferunt LXX. interpr. *Διελθόμεν εἰς τὸ πεδῖον*. At omnis heic evanescit suspicio corruptionis, vel defectus in textu authentico, si observatur genuina hoc loco notio vocis **וַיִּמְרוּ** quae verti potest: locutus est vehementer, conf. Simonis (c) de nominibus auctis per ו in initio, id quod sine errore etiam ad verba applicari potest, ut ex variis exemplis patet. Vel si haec minus placent, dicas **וַיִּמְרוּ** absolute positum esse pro **וַיִּכְרַח** ut Exod. XIX, 25. cfr. Pl. IV, 5. et alibi.

### THESES. II.

Circa libros suos sacros sollicita adeo Iudaeorum fuit cura, ut nullo modo quidquam in illis mutari unquam potuerit, ita nimirum, ut eadem loca in omnibus Codicibus mutata statuerentur.

Hoc contra placita recentiorum asserentes superstitionis non sunt accusandi; etenim contrarium adhucdum nemo, magno licet adhibito apparatu, probare valuit, neque ratione ex ipsis libris petita, neque ullo antiquitatis testimonio. Et quidem iure optimo mirari licet, talia de libris nostris sacris suspicari cuiquam in mentem venire potuisse, cum libros longe maioris molis, quam singuli libri sacri, et magnae satis antiquitatis, inveniantur, in quibus tales et tot nemo observare potuit corruptiones. Attamen quasdam additiones alicubi inveniri mordicus negare nolo, quae non a primis Scriptoribus, sed a quodam juniore *Θεοπνευστω* Scriptori additae judicari possunt. Tales vero in censum mutationis non veniunt. Et forte etiam istae additiones aliter explicare non adeo impervium foret. Alias, pro veritate asserti mei in Thef. sufficit testimonium FLAV. JOSEPHI (d) cui, quippe Iudaeo Scriptori de rebus Iudaicis maxima habenda fides. Asse-

verat

(c) in Arcan. form. voc. hebr. pag. 545.

(d) Libr. contr. Appion.



verat ille, populares eius tantum scriptis suis fidere, ut per tot saeculorum decursum illis quidquam detrudere, addere, vel ullo modo mutare, nemo unquam ausus fuerit, sed potius, quam fieret, centies pro iis mortem subire velle." Haec dum firmo stant talo, plures Criticorum recentius exclusae opiniones de Characteribus litterarum Codicis Sacri ab Esra mutatis, novitate punctorum et simil. in fumum abeunt.

### THES. III.

Ubicunque igitur a textu S. hebraeo discrepare deprehenduntur Pentateuchus Samaritanus et LXX. viralis, ut vocatur, versio, non ille, sed hi corrupti sunt iudicandi.

Loca in quibus textus Samaritanus ab hebraeo variat, plura sunt, quam ut hic exponerentur. Unicum tantum exemplum in medium proferre liceat; scilicet magnam illam inter Codicem hebraeum et Samaritanum in Chronologicis differentiam. Dum numerum annorum, quos primi Patriarchae ante et post diluvium vixerunt, Samaritanus longe alium ponit, quam Codex hebraeus habet, qui tamen fundamentum est totius Chronologiae biblicae, quemque saniores omnes sequuntur historici. Sic a creatione mundi ad diluvium praeterierunt secundum computum hebr. anni mille sexcenti et quinquaginta sex; at codex samaritanus annos tantum numerat mille trecentos et septem. Contra autem, a diluvio ad nativitatem Abrahami numerum annorum valde auget, spatium temporis istius fuisse dicens annorum nongentorum et quadraginta, quod non longius quam annos ducentos et nonaginta textus hebraeus habet. Sic quoque in connumerandis annis singulorum fere Patriarcharum, tum ante tum post diluvium qui vixerunt, a textu authentico haud parum samaritanus differt. Uter horum calculorum sit genuinus facile cuius omnes res historiae circumstantes debita attentione pensitanti patet. Praeterea quibus rationibus calculum annorum hoc modo ineundi commotus fuerit Scriptor Codicis samaritani, praeter alios exponunt BENGEL, (e)

(e) Ord. temporum cap. II, Sect. IV.



et CARPZOV. (f) Inter plura absurda, quae ex calculo Samarit. deduci possunt, vel unicum exponere licet: Gen. XIV, 14. narrat S. Auctor Abrahamum trecentis et octodecim servis suis domesticis quatuor Reges in fugam coniecisse. Id utique fieri non potuisset, si tum, post diluvium, mille fere anni praeteriissent, prout numerat Computus Samaritanus. Tanto namque temporis spatio totus sane terrarum orbis incolis plenus et potentissima regna ad florem perducta esse potuerunt. Belle autem haec narratio cohaeret secundum textus hebraei supputationem, qua assumpta, (ut assumi procul dubio debet) cum quatuor isti Reges tali ab Abrahamo clade sternerentur, praeterierant a diluvio anni tantum quadraginta circiter supra tricentesimum; quo tempore qualia imperia et quam potentes Reges exsisterint iudicatu haud est difficile. Haec de discrepantiis Chronologicis, quae primariae sunt habendae, sufficiant. Reliquas, quae minoris sunt momenti intactas relinquam. Ad versionem LXX. senum quod attinet, ad quamplurima loca non textum hebraeum, sed illam in mendo cubare est, de quo facile convincitur, qui translationem debita accuratione cum textu authentico contulerit. Inprimis circa Chronologiam non minus quam Pentateuchus Samaritanus ineptam initionem. Cetera menda, quae utique non sunt pauca, hic exponere nimis longum et ab instituto meo alienum foret. At tot ibi inveniri haud utique mirum, cum non ad Codicem hebraeum, sed ad Samaritanum partim, partim ad Targum Chaldaicum adornatum fuisse dudum sit observatum. Quin et nequidem exemplar biblicum genuinis hebraeis litterarum Characteribus, sed Graecis, translatores illos, quicumque demum fuerint, ad manus habuisse pluribus ex locis, sunt, qui observaverint. Sic inter Iudaeorum Doctores R. Assarias in *Meor Enajim* „omnes diversas et ab hebraeo discrepantes lectiones „apud LXX. quae obveniunt ex Codice Chaldaico vitioso et a rudi plebecula misere dilacerato originem traxisse iudicavit.“ Quod quidem iudicium non approbat HOTTINGERUS (g) multa tamen a Codice samaritano mutuata non negat. Praeterea magnae subiectum est controversiae, an versio LXX. vocata, quam habemus a Iudaeis, an  
vero

(f) Introd. in libr. Can. V. T. cap. IV, §. IV.

(g) Thesaur. Phil. cap. III, Sectio IV.



vero a graecis sit confecta. Genuinam illam esse nequidem probabile habendum. Etenim operam, quam Ptolemaeus Philadelphus LXX. Iudaeis, interpretibus dictis, imposuit, non fuisse versionem, sed tantummodo transcriptionem Bibliorum hebraeor. grsecis litterarum elementis evictum dat Cel. Conf. Aul. TYCHSEN. (*h*) Hocque assertum praeter alia loca satis superque corroborant verba, quae leguntur in *Megilla* fol. 9. a et *Talkut* fol. I, אלהים ברא כרשות. „Sic mutato ordine descripserunt LXX. pro Ptolemaeo ad vitandam „haeresin, vid. V. D. MICHAELIS. (*i*)“ Eandem fere de hac versione sententiam, quam tulit nuper nominatus R. Assarias confirmat COSTARDUS A. M. ANGLUS; (*k*) nempe confectam esse a viris hebraicae linguae non peritis longe post tempora Ptolemaei Philadelphi, et quidem ad exemplar magnopere vitiatum. Denique translationem hanc graecam, quae primis suis temporibus cum textu originali hebraeo non forte male conveniebat, mox post tempora Servatoris variis modis a Iudaeis corruptam fuisse D. OVENUS (*l*) monstrat, id quod testimoniis virorum, qui proxime ad ista tempora vixerunt: Iustini, Tertuliani, Irenei et Origenis perspicue hac de re loquentium, probat. Quantum igitur ista ad inpugnandam textus S. hebraei integritatem valeat quivis non coecutiens viderit.

#### THESES. IV.

Biblia sacra inter Iudaeos, nullo temporis intervallo, plane fuerunt ignota, quamvis interdum valde neglecta.

Inde a primis existentiae eorum temporibus circa libros sacros conservandos Iudaeos adhibuisse curam ex ipsa historia sacra edocemur. Sic Moysen legem divinam a se scriptam Sacerdotibus et Levitis tradidisse legimus: Deut. XXXI, 9. Eandem cunctis non Israelitis solum viris, foeminis et eorum liberis, sed peregrinis etiam inter illos

habitan-

(*h*) in tentam. de var. Cod. hebr. V. T. MSS

(*i*) in notis ad h. vers. Gen. Bibl. hebr. Hal. 1720.

(*k*) in scripto edit. Oxon. 1752.

(*l*) Britisk Theolog. Magazin. 3 St.



habitantibus praelegi Deus iussit ib. v. 11, 12, 13. Aliud exemplar eius in arca foederis reponitur v. 26. Reliquos libros Biblicos temporis spatio, quod inter Iosuaam et regimen Regum intercessit, populo ignotos fuisse, cur crederemus nulla adest ratio. Primi Reges Saul, David & Salomon pii fuerunt; duo ultimo nominati Ipsi libros sacros scripserunt. Si Saulum pium non fuisse contendis, sub eius imperio scripsit Samuel; Post illos alii Prophetae usque ad exilium Babylon. Thesin meam infringere quidem viderentur, quae legimus 2 Reg. 22, v. 8-10. &c. de libro legis in templo regnante Iosia invento; at exemplar inventum *ἀυτογραφον* Mosis fuisse ut credamus res circumstantes historiae suadent. Sub Rege Iosaphat liber legis a Levitis et Sacerdotibus circumfertur per urbes 2 Chron. XVII, 8. 9. In captivitate Babylonica libros biblicos Iudaei habuerunt et legerunt. Dan. IX, 2. Post reditum e captivitate Babylonica libri biblici publice leguntur, Nehem. VIII, 2. seq. cap. XIII, 1. Denique idem Nehemias libros biblicos collegisse et in unum corpus redigisse dicitur 2 Macc. II, 13. Eandem in se Iudas Maccabaeus suscepit curam, vid. v. 14. Et sic inde a Mosis aevo, usque ad tempora Maccabaeorum libros Iudaeorum sacros existisse ac lectos fuisse ex historia biblica patet. Quin et a primo illorum exordio a vitiiis illos immunes permansisse testimonium FLAV. JOSEPHI ad Thesin II. allatum neminem dubitare finit.

T A N T U M.

